



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

c. 11. Vt officium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**



intra ceteros limites ab Apostolica sede commissum expiret per mortem Romani Pontificis, qui commissit. Presenti declaramus edicto ipsum officium non solum quo ad negotia viuentis mandatore incepta; immo etiam, quo ad integra & non cepta; & quod plus est, quantum ad ea, quae tunc nequaquam emerferant in fauorem fidei, post committentis obitum perdurare.

Idem eisdem.

Informat Inquisitores ad Deum, vt eius timore hominum metui anteponant, in procedendo simul, vel separatim contra hereticos, & suos fautores: et etiam in eos absolueno, cum vere redierint.

C A P. XI.

¶ Cōc. 1. in Cle. 1. de heret. & vido Ex. 1. p. 2. q. 4. 7. & seq.



T officium Inquisitionis contra hereticos in prouincia, in qua vobis idē officium est commissum, auctoritate Apostolica possitis efficacius adimplere discretioni uestrae per

Apostolica scripta mandamus, quatenus vbique in praefata prouincia, simul vel separatim, aut singulariter (prout negotij vtilitas suadebit) contra hereticos credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, necnon contra infamatos de heresi, vel suspectos iuxta sanctiones canonicas (hominum metu diuino timori postposito) procedatis. Si vero aliquis ex praedictis haeretica labe priuatus abiurata, redire voluerit ad Ecclesiae unitatem, ei iuxta formam Ecclesiae absolutionis beneficium impendatis, & iniungatis eidem, quod iniungi talibus consuevit. Prouiso tamen solerter, ne simulata conuersione redeant fraudulenter, & vos (immo seipfos) fallentes, sub agni specie lupum gerant.

Instruit Inquisitores in modo examinationis testium, & in personis, qua testificata scribere debeant. hoc dicit.

¶ Vide repet. rorum ver. prouiso solerter.

¶ In delictis magni cauce procedendū.

Verum, quia in tam graui crimine, cum multa oportet cautela, praedi (vt in reos sine vilo proferatur errore dura ac digne seueritas vltionis) volumus & mandamus, vt in examinatione testium, quos recipi super crimine praedicto, ipsum que contingentib. oportuerit, adhibeatis duas religiofas & discretas personas, in quarum praesentia per publicam (si commode potestis habere) personam, aut per duos viros idoneos, fideliter eorum depositiones testium conscribantur. Ad conscribendas quoque huiusmodi depositiones testium, & ad faciendum omnia, quae in commissio vobis officio ad scriuarij, seu tabellionis officium pertinent, teneri districte praecipimus, cum per vos fuerint requisiti, omnes & singulos vestri ordinis fratres, qui dum essent in saeculo, tabellionatus officium habuisse, aut exercuisse noscuntur, & illos etiam quibus idem tabellionatus officium ratione praefati negotij fidei fuit ab Apostolica sede commissum: & in posterum committetur, coedentes huiusmodi fratribus, necnon & alijs religiosis quibuslibet, qui similiter dum essent in

¶ Ermo. 1. p. q. 14. & 19.

¶ Vide 1. is 1. p. 4.

saeculo tabellionatus officium habuerunt, & exercuerunt, quibusuis etiam clericis secularibus officium ipsum habentibus (etiam si iidem fratres religiosi & clerici sint in sacris ordinibus constituti) exercendi libere officium ipsum, quoad praemissa, non obstante statuto aliquo contrario canonis vel ordinis, quocunque vallato munimine, potestate ue.

Instruit Inquisitores, circa personas, per quas impediiri possent vel differri Inquisitionis negotium. hoc dicit.

Compescendi praeterea monitione praemissa per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita pradicatores, & quatuordecim (vbi contigerit pro Inquisitionis seu fidei negotio congregatio nem fieri, vel alias eidem negotio, quomodolibet ex hoc impedimentum aliquod afferri) a praedicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet (quorum interest tantum charitativa subsidia suppliciter petere, ac indulgentias, si forte habent exponere) liberam vobis, & singulis vestris concedimus auctoritate praesentium facultatem. Denique ut circa praemissa plene vobis & singulis vestrum coercionis expedita, & inuiolabilis adsit auctoritas; volumus, vt ea omnia viriliter exequamini (si opus fuerit) inuocato auxilio brachij secularis: contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo: Non obstantibus priuilegijs vel indulgentijs, quibuscunque personis cuiuscunque conditionis, dignitatis, vel gradus, religionis, vel ordinis, communitatibus, vel uniuersitatibus ciuitatum, & locorum, specialiter vel generaliter sub quacunque uerborum expressione vel forma, a memorata sede concessis, vel in posterum concedendis: cum ex huiusmodi vel alijs priuilegijs vel indulgentijs, nullum vobis in tanta pietatis negotio, velimus obstaculum interponi, & constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Statuimus, in super ut potestas, capitaneus, seu rector, vel consules, seu quicuis alij, qui ciuitati praesunt, vel loco aliter ad praesens, aut praerunt in futurum, ad requisitionem diocesano rum, vel uicario rum suorum seu Inquisitorum haeretica prauitatis, iurent praesens attendere inuiolabiliter, & obseruare, ac facere a suis subditis obseruari, toto tempore sui regiminis, in terris suae iurisdictioni regiminiue subiectis, constitutiones contra hereticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum ipso rumque filios & nepotes a sede Apostolica promulgatas, ac etiam approbatas: quas qui iurare noluerit, & seruare, vt infamis & tanquam haereticorum fautor, ac de fide suspectus, officio & honore sui regiminis spoliatur: nec ulterius potestas, capitaneus, consul, vel rector habeatur in aliquo, aut de cetero in aliquam dignitatem vel officium publicum ulterius assumatur; & quae vt potestas, balliuus, consul, vel rector fecerit, nullam obtineant firmitatem.

¶ Vide Cōc. Trid. sess. 5. d. refor. cap. 2. in fi.

¶ Eym. 3. par. 9. 32. Cāpeg. ad Zach. c. 31.

¶ Vna Magistratum leges contra hereticos editas non seruati.

Bonifacius VIII. Inquisitoribus haeretice prauitatis. Comprahendit ista decretalis plura utilita pro expediendo



pediendo officio Inquisitorum. dat enim eis potestatem committendi citationes, & sententiarum denuntiationes: dat potestatem vocandi peritos, clericum, & populum, ut eis assistant. dat potestatem procedendi contra illos, qui de sua in aliam provinciam se transtulerunt. dat potestatem repetendi libros, & processus, commutandi, & mitigandi penas, priuandi, & priuatos nuntiandi, officijs, & honoribus hereticos, fautores, & defensores eorum: ita tamen quod hoc fiat de diocesano vel in eorum absentia vicariorum suorum consilio, nisi ydem scienter talibus beneficiis contulissent. hoc dicit Ioan. And.

C A P. XII.

Edictum circa an. Domini 1296.



† Vide Eym. 3. p. q. 15.

† Eym. 3. par. q. 77.

† Eym. 3. p. in forma monendi populi de sermone si dei habendo. † Eym. 3. p. in q. 42.

† Eym. 3. p. q. 11. & ibi dicitur copiose.

**V**T commissi vobis officij debitum vtilius, & vberius exequamini, sanctam memoriam Inno. Alexan. & Clementis predecessorum nostrorum vestigijs inherentes, vobis & vestrum singulis committendi citationes, & denuntiationes sententiarum, quas in quoslibet hereticos credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum tuleritis. Aduocandi quoque, prout expedierit, peritos quoslibet, ut vobis assistant, & in huiusmodi ferendis sententijs praebeant consilium opportunum, ac eis, quod super his vobis humiliter pareant in virtute obedientiae iniungendi: Conuocandi etiam clericum, & populum civitatum, castrorum, aliorumque locorum (prout dicto negotio fidei iudicari expedire.) Et contra illos, quos in provincia, in qua vobis Inquisitionis officium est commissum, heresis crimen confiterit commississe (licet ad alias partes se transferendos duxerint) procedendi, nec non faciendi a quibuslibet assignari vobis libros seu quaternos, & alia scripta, in quibus Inquisitiones factae ac processus per quoscumque auctoritate Sedis Apostolicae vel legatorum eis habiti contra hereticos continentur, & illorum qui vestris mandatis obediētes, humiliter stant propter haeresim in carcere, vel muro reclusi penam vnā cum praelatis, quorum iurisdictioni subsunt, mitigandi, vel mutandi, cum videritis expedire: Priuandi quoque, vel priuatos nuntiandi dignitatibus, ac alijs beneficiis Ecclesiasticis de diocesanorum, vel eis absentibus vicariorum suorum consilio, & officijs publicis ac honoribus quibuscumque eosdem haereticos, credentes receptatores, & defensores ipsorum, eorumque filios, & nepotes plenam concedimus facultatem. Sunt autē diocesani in priuando tales, vel nuntiando priuatos beneficii huiusmodi requirendi. Nisi forte constaret legitime, quod iudicauerit huiusmodi personis eadem beneficia contulissent: tunc enim eos in his requirendos non esse censemus, sed potius a suo iudice puniendos.

Idem.

Christiani ad Iudaismum transeuntes, et redeuntes haeretici reputantur. hoc dicit secundum Zenz.

C A P. XIII.



**C**ONTRA Christianos, qui ad ritum transierint, vel redierint Iudeorum (etiam si huiusmodi redeuntes dum erant infantes, aut mortis metu, non tamen absolute, aut praecise coacti baptizati fuerint) erit tanquam contra hereticos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos seu Iudaeos conuicti: Et sicut contra fautores, & receptatores, & defensores hereticorum, sic contra fautores, receptatores, & defensores talium est procedendum.

COMMENT. XIII.

**D**E materia huius c. prae ter Ancharanum, Geminianum, & alios interpretes hic, videndus est Eymericus p. 2. q. 44. & quos refero super eadem questione: Nunc omittis ceteris de quibus suis locis commodius differam, solum hic ostendam occasione illorum uerborum, seu Iudeos conuicti, quando Iudaei admittantur ad testificandum contra Christianos, nam de alijs in fidelibus quid sit sentiendum, agam cum Eymérico. 3. p. q. 68. & seq. In primis explorari iuris est, infideles quicumque illi fuerint a testimonio dicendo contra Christianos repelli. auth. credentes. C. de haeret. c. 1. de testib. c. si haereticus c. no potest. 2. q. 7. c. ipsa pietas. 2. q. 4. & tradunt communiter Doctores. in c. 1. extra de haeret. quoniam, ut in d. c. non potest scriptum est: Non potest erga homines esse fidelis, qui Deo extitit infidelis.

Ceterum in crimine haeresis in uniuersum infideles quicumque, & etiam Iudaei aduersus Christianos testimonium dicunt, ut apertissime docet hoc responsum, ubi gl. in uerbo, Iudaeos, & ibidem Geminianus, Praecus, et ceteri communiter. gl. in c. 1. de testib. uerbo fideles, ubi Doct. communiter, Palacius Rubius in allegat. de haesi. §. ultimo. Gondissaluis de haere. q. 12. nu. 10. Joannes Roias sing. 190. & copiose Felyn. in c. Iudaei. de testib. optime Hieronymus Gigas tracta. de cri. lese maiest. lib. 2. tit. quomodo et per quos probetur. que est. 10. & potissima ratio est, ne ex defectu probationum tam graue scelus impunitum remaneat. l. quoniam. in fi. C. de haere. c. dilecto, & cap. significauit. de testibus.

Neque hoc solum habet locum, quoties ageretur de conuincendo Christiano apostata, qui prius fuit Iudaeus, & postea reiuuauit, ut probat textus in d. capit. contra Christianos, sed etiam cum ageretur de conuincendo Christiano non apostata, seu tota religionem Christianam deserente, sed in vno vel altero tantum articulo delinquente: idque ob eandem rationem, ne uidelicet Crimen hoc remaneat impunitum: rursus etiam in fidei fauorem, argumento capit. in fidei fauorem. de haeret. libro sexto, quoniam si haeretici aduersus haereticos admittuntur, optime docet Eymericus, 3. p. q. 69. iure optimo etiam Iudaei admitti debent, cum commoda ratio diuersitatis assignari non possit, & maior prohibitio in haeretico, quam in Iudaeo esse videatur secundum glo. in cap. pagani. 2. q. 7.

Ad haec,